



Nicolaus felici ingenio præditus, sacrî literis operam dedit, & sua eruditione impetravit, ut in Rostochiana Academia Magister, & Baccalaureus formatus Theologiæ creatus fuerit. Cum autem is Boemorum quorundam commercio usus, uarias superstitiones in Ecclesia cognouisset, eas magno zelo reprehendit, & sacerdotes officij admonuit, anno circiter 1513. Multi etiam eo tempore inuenti, qui hanc eius administrationem diligenter expenderunt. Fuerunt autem plures, qui eum graui odio prosequuti sunt. Itaque coactus est Rostochio Vismaria secedere, ubi etiam per sesquiannum uixit, & hominum uitia carpsit. Inde reuersus denuò Rostochium, rursus ob nouam persecutionem in Liuoniam abiit, ibique diem suum obiit. Reliquit is prolixum scriptum, impressum Saxonica lingua, titulo de Triplici funculo. Est autem expositio Symboli, Decalogi, & Dominicæ orationis, in qua multa contra Papam disputat, præcipue autem haec: Indulgentias esse meram deceptionem piorum: ueras autem contingere à solo Deo gratis propter Christum, omnibus uere pœnitentibus: Papam non eam potestatem habere, quam ei multi tribuant, nec audiendum nisi recta præcipiat: sanctorum ossa non esse adoranda, nec sanctos inuocandos: spirituales debere dare censum, & subesse magistratibus: reprehendit quoque traditiones humanaas, uarios abusus & superstitiones. In primis uero grauissime infectatus est spiritualium turpem uitam & officij neglectionem. Itaque cum haec doceret, Indulgentiarum inquisitores summo studio illius exemplaria conquisita exuissent. Nicolaus quidem arcam plenam illis exemplaribus in terram defoderat, quae ibi ad Lutheri temporam usque manserunt, quare pleraque computuerunt. Sicque constat Lutherum magnam suæ doctrinæ occasionem ab antecessoribus accepisse. Vident adhuc duo piani & docti uiri Rostochii, qui huius Nicolai in humanioribus literis discipuli fuerunt, nimirum Conradus Pegellius, et Vitus Ecclesiastes ad S. Ioannem, Math, Illyr, in catal, test, uerit,